

cisco puplici eiusdem terre notarii et testium subscriptorum licteratorum de eadem terra ad hoc specialiter vocatorum et rogatorum, prius ab eodem iudice legaliter inquisita et absoluta in tota huius scripti continentia, consensu quoque et auctoritate magistri Spine electi mihi mundualdi quoad presentem contractum et mihi auctoritate consuetudinis Baroli per predictum iudicem confirmati pro eo quod legitimo careo mundualdo, mea bona et gratuita voluntate offero et dedico me Monasterio memorato et ex causa oblacionis et dedicacionis ipsius in remissione meorum peccaminum et parentum meorum do et trado inrevocabilis titulo inter vivos dicto Monasterio sancte clare in manibus videlicet discreti viri abbatis Bartholomei procuratoris ipsius Monasterii ad infrascripta et alia ut constitit predictis Iudici notario et testibus infrascriptis recipientibus oblationem et donationem predictam specialiter et expresse domum unam meam sitam in Civitate baroli, in pictagio sancte Marie de episcopio, et inter hos fines videlicet a medio pariete iuxta domum heredum qd. comitis Iohannis de madio, a medio pariete iuxta domum theonicorum, a media transenda iuxta domum nicolai de maroldo, iuxta viam publicam et si qui alii sunt confines, et omnia bona mea mobilia que nunc habeo et invenientur tempore mortis mee pactis et condicionibus infrascriptis videlicet, quod dum sanitate corporea potior, sim domina et patrona et usufructuaria omnium bonorum meorum mobilium et de ipsis possim vendere, donare alienare, obligare, et omnia alia facere prout mihi melius videbitur et iuxta meum arbitrium voluntatis, me vero infirmante non possim nec audeam de predictis omnibus bonis meis mobilibus modo aliquo vendere donare alienare et obligare sine mandato consensu et voluntate dicte domine abbatisse et sororum monasterii supradicti et dicta domina abbatissa seu sorores ipsius monasterii aut monasterium ipsum teneantur et debeant ponere michi medicum, dare seu dari facere medicinas prout ipse medicus dixerit et omnia alia necessaria michi quando infirma fuero tamquam uni de sororibus monasterii prelibati donec ego ad sanitatem pristinam sim reducta me vero decedente predicta domina abbatissa seu sorores ipsius monasterii aut monasterium ipsum teneantur et debeant me cum habitu ipsius monasterii honorifice sepeliri facere intus in dicto monasterio sancte clare ad expensas proprias ipsius monasterii et officiare me debeant tamquam unam de sororibus monasterii sepedicti Retento etiam michi usufructu predicte domus dum vixero, me vero ut predicatur decedente usufructus ipsius domus consolidetur proprietati domus predicte et ad dictum monasterium deveniat pleno iure petens ex ipsa oblatione donatione a predicta domina abbatissa et sororibus dicti monasterii nil aliud nisi missas et orationes ad Deum pro anima mea et parentum meorum, quam predictam oblationem et bonorum omnium donatione dicto monasterio ut predicatur pro me facta sollempni stipulatione et guadium inde adhibita promisi et conveni dicto abbati bartholomeo presenti recipienti et stipulanti vice nomine et pro parte ipsius monasterii omni futuro tempore mea firma habere et contra eam quomodolibet non venire, set ipsam ab omnibus hominibus in perpetuum defendere salvis pactis et conditionibus suprascriptis. Contra que si fecero et predicta non adimplevero pene nomine solvere promisi dicto abbati bartholomeo presenti recipienti *etc.* nomine q. s. super his omnibus et singulis expresse et certa mea scientia omnium legum et iurium auxilio iuri scripto et non scripto canonico et civili exceptioni doli mali metus *etc.* per quod seu quia donatio ex ingratitudine revocatur consuetudini baroli qua cavetur